

novit, & hactenus consuevit. Eidem suus in Urbe Romana quondam discipulus, qui in temporis angustia præsentem de Pallio tractatum conscripsit, præsentem à Deo ex germano corde precatur Regiminis cursum ad multos annos.

TITULUS IX.

De Renunciatione.

1. **R**enunciatio est spontanea Beneficii Ecclesiastici dimissio, facta coram legitimo Superiore eam acceptante. De tribus ejusdem speciebus notas historicas dabimus; nempe, de renunciacione sive resignacione simplici, de facta in favorem tertii, & de facta causa permutationis.

2. Ex his Renunciacionis speciebus multis Ecclesiæ Sæculis nota tantum & practicata fuit resignatio simplex.

Nulla enim de resignacionibus conditionatis, quales hic describuntur, in monumentis ecclesiasticis primorum sæculorum occurrunt vestigia. Si enim quandoque Antistites designarent Successores, vel sibi deligerent Coadjutores; hæ non erant resignaciones in favorem tertii, vel causa permutationis, ut modo in usu sunt. Cuique de resignacione causa permutationis nulla occurrat mentio apud Iidorum, Burcardum, Ivonem, & apud novissimum Gratianum Sæculo XII. Canones colligentem, & de resignacione in favorem tertii, neque in Decretalibus Gregorii IX. Sæculo XIII. editis; recte Boetius Epo priores Sæculo XI. & Franciscus de Roye posteriores Sæculo XIII. necdum in usu fuisse colligunt, quamvis utrarumque fundamenta illis Sæculis iacta fuerint.

3. Sæculo XI. & XII. Resignaciones, quæ prioribus Sæculis rariores erant, vehementer multiplicari cœperunt.

Incontinentia & simonia sedus torrentis,

Hæc velim probe expendant Domini Protestantes, sibi que impolterum caveant, ne simile quid temere contra hujusmodi Disciplinæ Catholicæ capita in ventum scribant, unde ab oculatoribus rideantur.

qui deplorandis illis temporibus Ecclesiæ agrum inundavit (tit. 6. N. 64. &c.), dolendam necessitatem infixit, vimque attulit Pontificibus, ut novam hanc sine-rent illabi disciplinam, qua nisi innoxorabili necessitate exunderetur, disciplinæ potius relaxatio, & corruptela videri possit: inquit Thomassinus p. 2. lib. 1. c. 50. ne enim Ecclesiæ pleræque ea tempestate Pastoribus orbata squaleret, neve cauterio severiori cicatrix domus Dei exulceraretur; zelum suum in Concubinariorum, & Simoniacorum tum Episcopos, tum alios Clericos (quos, nisi his delicatis circumstantiis obstitentibus, juxta rigorem Canonum Beneficii prorsus privari oportuisset) Romani Pontifices ita moderati sunt: ut eos Beneficia resignare quidem cogere, sed post penitentiam præsertim pristinis Dignitatibus postliminio restituerent. Sic sub Victore II. in Concilio Lugdunensi A. 1055. quadraginta quinque Episcopi, & viginti septem Prælati abdicarunt sese Dignitatibus, quas turpissime nundinati fuerant, teste Baronio ad A. C. 1049. quamvis Petrus Damiani tantum 6. enumeret, qui pene omnes, etsi depositione digni, ob rationem tamen insinuatam Sedibus suis restituti sunt. Dirum quoque Schisma, quod contra Gregorium VII. consilavit Henricus IV. Investituræ item Laicorum multiplicandis resignacionibus occasionem præbuere; nam & Schismati,

tici, & ita investiti ad frugem redeuntes, sub eodem Pontifice, & ejus Successoribus hæc miti œconomia tractati sunt, ut sponte ac libere suis Ecclesiis renuntiarent in manus Pontificum vel Episcoporum, & ab iis postliminio restituerentur. Nec simulate, aut theatrales erant hæc Episcopatum in manus Pontificis resignaciones ad culpas sive per simoniam, sive concubinatum, sive investituram commissas eluendas, ut male affecti suspicari possent; cum post talem resignacionem liberum fuerit Pontificibus Beneficium abdicatum resignanti vel alteri conferre, renuntiantesque ex animi præparatione illa abdicarent, quemadmodum exemplo Othonis Episcopi Bambergensis, & S. Thomæ Cantuariensis liquet, & Canone 2. Concilii Romani sub Urbano II. A. C. 1099. celebrato rel. cap. *Si aliejus de elect. de ignoreret simoniace electo ediciter, quod post liberam resignacionem Episcopus cum illo possit dispensare; quamvis hæc pia Romanorum Pontificum indulgentia longa sui continuatione in legem tandem convalescit, ut resignans resignato restitueretur Beneficio, necessitate acerba si postulante, ut validius allicerentur Simoniaci Beneficarii ad provisiones canonicas sibi comparandas. De quibus omnibus vide Concilia sub his Pontificibus contra concubinatum, simoniam, & investituram labem habita, ex quibus hæc illorum œconomia plene iustificatur. Canonem 11. mox laudati Concilii sub Urbano II. hic solum adnumero: *Quamvis misericordie inimitu, magnaue necessitate cogente, hanc in Sacris Ordinibus dispensacionem constituerimus; nullum tamen præjudicium Sacris Canonibus fieri volumus, sed obtineant proprium robur, & cessante necessitate illud quoque cesset, quod factum est pro necessitate. Ubi enim multorum strages jacet, subtrahendum est aliquid severitati, ut addatur amplius charitati. S. Aug.**

4. Eadem incontinentiæ ac simoniæ labes, illis Sæculis immaniter serpens,

viam stravit resignacionibus in favorem tertii.

Ex ea enim tanquam ex fecunda matre nascebatur Beneficiorum pluralitas; etenim cum simonia impune grassaretur, quisque sibi emebat Beneficia, quotquot volebat; & cum Clerici nonnulli essent concubinarij, familiæ alendæ necessitate hæc Beneficiorum congeriem, Laicorum investitientium, & Sacros Canones flocci habentium, præsertim sulti autoritate, excusabant, omnibus ex rigore Canonum spoliandi; sed cum hunc rigorem non ferret deploranda illorum temporum conditio, non poterat promptior parari medicina, quam ut tales Pape vel Episcopo Beneficia resignarent: qui tanto faciliores se præstabant ad ea illis conferenda, quos resignantes designassent; quanto certiores erant, eam esse expeditissimam rationem perficiendi, ut resignarent, idque onus excuterent, quo alioquin ad æternæ damnationis barathrum præcipites agerentur. Hinc cum Abbas, cui dux erat Abbatia, alteram S. Remigij Rhemis resignare voluisset, scripsit Gregorius VII. ad Archiepiscopum Rhemensem, ut resignacionem admitteret, Abbatiamque resignatam ei conferret, quem resignans indignitasset, lib. 1. Ep. 53. Et eo tempore ceperunt Episcopi resignaciones Laicorum, qui Parochiales Ecclesias invaserant, ea condicione, quasi in favorem admittere, ut Monasteris conferrentur. Cumque in simplicibus resignacionibus sapissime contingeret, ut resignantis voluntas intima & occulta spe non fraudaretur; irrepsit tandem mos exprimentæ hujus voluntatis, tanquam conditionis necessaria.

5. Sæculi XVI. initio resignaciones in favorem tertii & non alias frequentari cœperunt, earumque usus ad nostra usque tempora perductus est.

Prima pars inde patet, quod illo tempore hæc clausula *in favorem, & non alias, nec aliter* in procuratoria irrepere cœperunt: quæ res in Gallia quæstionem excitavit,

tavit, utrum resignatio in favorem certæ personæ valeret, vel censeretur illicita? aliis id affirmantibus, aliis negantibus, teste Ruazo Supremæ Curie Parisiensis Consiliario in suo tractatu Juris Regaliorum privilegio 32. qui & scribit has resignationes per Arrestum Supremæ Curie censitas fuisse illicitas, & simoniacas. Quo tamen non obstantè, usus earum invaluit, nec tantum in Curia Romana, sed etiam in Senatibus Regiis admittæ sunt. Quin judicatum fuit, Papam non posse Beneficia in favorem certæ personæ resignata cum clausula non alias, nec aliter, alteri conferre: quo iudicio correctæ sūt prior erronea sententia, cum tales resignationes ex hoc solo pacto, præcisè aliis, revera simoniacæ non sūt; quamvis frequenter in illas simonia mentalis irrepere possit: propter quod nomine Caroli IX. Regis Galliæ à Patribus Tridentini Concilii postulatam fuit, ut resignationes in favorem rejiciantur omnino à Curia Romana.

Quantum ad 2. p. Quamvis quoad expressionem verborum circa resignationem in favorem nonnihil mutatus sit stylus Curie Romanæ, mandante Gregorio XII. ut non apponerentur illa verba in favorem, tanquam non necessaria & suspecta, neque in capite, neque in corpore procuratori, & loco ipsorum adscribatur resignatio simplex, ut notat Flaminius Parisius lib. 8. q. 7. N. 36. illa tamen idem valet, ac resignatio in favorem; nam ille resignans (pergit idem) renuntiat simpliciter in manibus Papæ, qui postea ad preces Resignatarii ei resignatum Beneficium confert: nam Papa non habet respectum ad mentem Resignantis, sed ad supplicationem humiliter sibi factam à Resignatario, seu illo, in cuius favorem alter resignat. Unde etiam nunc in resignationibus factis à promotis ad incompatibilia supplicæ inscribitur resignatio simplex sine provisione quia nempe in tali supplicæ nullus pro collatione, seu provisione instat, quemadmodum in provisione in favorem, quæ ta-

men simplex inscribitur, fieri notavimus. 6. Saeculo XII. Resignationes causa permutationis & non aliter ab aliquibus frequentari ceperunt.

Id constat ex Concilio Turonensi sub Alexandro III. hoc Saeculo celebrato, cuius Canon relatus Cap. 8. de Præbendis permutationem Dignitatum fieri prohibet. Verum cum Concilium Turonense de sola permutatione Dignitatum loqueretur, quæ situm fuit: Num permutatio Præbendarum licita foret? Respondit Urbanus III. in Cap. 5. de rerum permutatione: Generaliter teneas, quod commutationes Præbendarum de jure fieri non possunt, præsertim cum pactioe præmissa, quæ circa spiritualia, vel connexa spiritualibus labem continet semper simonia. Ex cuius, aliorumque Pontificum responsis, Concilio-rumque decretis, circa idem tempus editis, manifestum est, permutationes Beneficiorum, præsertim pactioe præcedente, fuisse reprobatas, tanquam de simonia, ut minus, admodum suspectas. Nequaquam tamen, inquit Van Espen Juris Ecclesiastici p. 2. tit. 27. N. 22. translationes Beneficiorum autoritate Superioris plane reprobate sunt; quas & in Episcopis jam pridem Canones admisserunt: dummodo utilitas aut necessitas Ecclesiarum has translationes postularer. Hinc Urbanus III. in citato responso, quo permutationes Præbendarum per Concilium Turonense veritas respondit, adjungit: Si autem Episcopus causam inspexerit necessariam, licite poterit de uno loco ad alium transferre Personas: ut quæ uni minus sunt utiles, alibi se valeant utilius exercere. Evidens est per hanc clausulam Pontificem non aliud velle, quam Episcopos posse Beneficia sua auctoritate transferre de una Ecclesia ad aliam, si inspexerit causam necessariam hujus translationis. Permutationes ergo Beneficiorum hic probatas esse, ex prædicta clausula erui nequaquam potest.

7. Occasione hujus responsi resignationes causa permutationis invalescere ceperunt.

Cum

Cum enim ibi, pergit laudatus Van Espen, haberetur, Episcopis licitum esse Beneficiatos de uno loco in alium transferre, ceperunt Beneficiati sua Beneficia ad manus Episcoporum resignare, ea conditione tacita, vel expressa, ut eorum auctoritate ad mutuas Ecclesias transferri possent, sive alter alterius Beneficium consequi. Et primitus quidem credebatur hæc Beneficiorum resignatio esse libera; quasi Beneficia ita resignata vere vacarent, possentque Episcopi ea libere conferre: quin & Expectantes, seu Mandatarii Apostolici illa tanquam vacantia acceptare; verum cum alia mens sciretur esse Resignantium & scireturque Beneficia hæc non resignari, nisi sub ea conditione, ut alter in alterius Beneficium subrogaretur; respondit Bonifacius VIII. Saeculi XIII. sine Biterensi Episcopo in cap. un. de rer. permutat. in 6. quod Expectantes, seu Mandatarii Apostolici hujusmodi resignata Beneficia tanquam vacantia acceptare nequeant: æquitatem, inquit, præferentes hac in parte rigori: quasi diceret: Licet de rigori talia Beneficia vere vacent; tamen æquum non est aliis conferri: quia Resignantes, nisi credidissent vi hujus resignationis se ad mutua Beneficia transferendos, ea non resignassent. Eadem æquitatis specie motus Pontifex Clemens V. Saeculi XIV. initio, in Clement. unica de rer. permut. declarat: Ne concessione juris utentibus, præsertim circa spiritualia illudatur, si qua Beneficia ex causa permutationis ab aliquibus resignata aliis, quam ipsis permatare volentibus conferantur, nullus hoc esse volumus firmitatis.

8. Post id tempus passim ceperunt Beneficiati causa permutationis ad manus Episcoporum Beneficia resignare.

Erant enim post mox relatum Clementinam securi, quod illa hæc via non esset amissuri; sed li Episcopos resignationem non admitteret, quemlibet in suo permanentem. Episcopi quoque scientes ex similibus permutationum rejectione nihil sibi

commodi obvenire, neque se posse de Beneficiis sic resignatis alicui alteri providere; admodum faciles fuere, ut permutationes, sive resignationes ex causa permutationis admitterent ad beneplacitum Resignantium. Et sic stabilita est hæc disciplina, quæ multis Saeculis ignota fuit in Ecclesia (N. 2. h. t.). Licet autem Ecclesia resignationes Beneficiorum hujusmodi bodie toleret, & admittat; nihilominus non minus quam olim turpes & illicitas pactioes in illis execrat: nec non omnes de una ad aliam Ecclesiam translationes, quas non utilitas aut necessitas Ecclesiarum, sed ambitio aut turpis questus, vel carnis & sanguinis carnalis affectus extorquent: quas licet autoritas humana subinde probet, aut non improbet, semper eas autoritas divina, & lex æterna damnabit, & Ecclesia à Spiritu S. directa execrabitur. Concludit prælaudatus Van Espen.

9. Resignationes tam simplices, quam in favorem tertii secundum se semper in Ecclesia sunt prohibita. Et sine justa causa, ab aliis quam à resignantibus iudicanda, fieri interdicitæ.

Pro 1. p. est, quod resignationes simplices præferant speciem spiritualis divortii inter Beneficiatum & Ecclesiam; resignationes vero in favorem tertii insuper speciem hæreditariæ successione in Beneficiis: quæ duo sunt valde odiosa, & sine gravi causa non admittenda. Hinc Canon 35. Apost. de Resignantibus simpliciter sancit: Si quis ordinatus Episcopus ministerium & curam Populi sibi commissam non susceperit, hic à Communionem suam estotamdiu, donec susceperit obedientiam accommodans: similiter autem & Presbyter & Diaconus; si vero non præ voluntate sua, sed præ malitia Populi non susceperit, maneat ipse quidem Episcopus, Clerus vero ejusdem Civitatis à Communionem segregator, eo quod tam inobedientem Populum non corripuerit. Consonat Nicænæ Synodi Canon 16. in quo simpliciter

Relig.

Resignantes prohibentur in alia Ecclesia suscipi, sed cum omni necessitate ad pristinam Ecclesiam repelli. Quantum ad resignationes in favorem, cum prioribus Sacris alia nota non fuerint, quam accessio Coadjutorum, & designatio Successorum, illa quoque prohibita fuerunt Can. 33. Concilii Antiocheni, & aliis; iusta tamen de causa admittuntur: quod exempla Sanctissimorum Episcoporum demonstrent.

Quantum ad 2. p. Canon 18. Concilii Antiocheni A. 341. ita habet: *Si quis Ordinatus non ierit ad Parochiam, ad quam est ordinatus, non sua quidem culpa, sed propter Populi recusationem, vel aliquam aliam causam, quae a se non oritur, is sit & honoris & muneris particeps, dummodo nullam rebus Ecclesiae, in qua convenit, molestiam afferat. Is autem id suscipiat, quod perfecta Provinciae Synodus, eo, quod ad se allatum est, iudicato, statuerit.* Junge Canonem 17. & dicenda.

10. Causae, ob quas Episcopi, vel inferiores Clerici sua Beneficia resignare poterant, in genere semper fuerunt Ecclesiae utilitas & necessitas.

Unde Aug. contra Cresc. lib. 2. c. 17. dicit: *Neque enim Episcopi propter nos sumus, sed propter eos, quibus Verbum & Sacramentum Dominicum ministramus; ac per hoc, ut eorum sine scandalo gubernandorum sese necessitas tulerit, ita vel esse vel non esse debemus, quod non propter nos, sed propter alios sumus.* Et sex illa causae, ob quas Episcopus resignare permittitur ab Innocentio III. Saeculo XIII. expressae, atque hoc tit. c. 10. relatae, ad utilitatem & necessitatem tantum collimant. Junge Constitutionem 85. Pii V. quae incipit: *Quanta Ecclesiae.*

11. Iudicium de causa resignationis Episcoporum, & ejusdem admissio primis Ecclesiae Saeculis ad Provinciale Synodum spectabat, sicut ipsa translationes.

C. 17. & 18. Concilii Antiocheni (N. 9. h. t.) fiebat nihilominus quandoque recursus ad Principes & Romanos Pontifi-

ces: quod exemplis probat Thomassinus p. 2. lib. 2. c. 37.

12. Haec disciplina adhuc viguit sub Imperio Caroli M. & Regiae ejus Prosapiae. (Vide Thomassinum p. 2. lib. 2. c. 57.) Saeculo tamen XI. frequentius fiebant in manu Romani Pontificis. (Ex causis N. 3. & seqq. allatis), cui etiam posthac sunt reservatae (Titulo 7. Num. 10. & seqq.)

13. Non solum autem resignationes five simplices, five in favorem, aut causa permutationis ab Episcopis factae Romani Pontificis iudicio & admisioni hodie servantur; sed etiam resignationes inferiorum Beneficiorum factae in favorem: relicto Episcopis tantum iudicio & admisionem resignationum simplicium, & causa permutationis.

Prima pars adeo vera est, ut nec Legatus Pontificis talem resignationem probare possit, nisi speciali facultate sit instructus: uti notat Rebuffus in praxi p. 3. tit. de resignatione conditionalis; eaque opinio hodie communiter tum a Theologis, tum a Canonistis recepta est, eamque probavit Pius-V. in mox laudata Constit. *Quanta Ecclesiae.*

Pro secunda parte habemus Concilii Trid. Sess. 23. c. 16. ubi ait: *Quod si (Clericus certae Ecclesiae adscriptus) locum inconsulto Episcopo deseruerit, ei Saeculo exercitium interdicitur.* Et Saeculo XII. Alexander III. rescripsit Tornacensi Episcopo: *Universis Personis tui Episcopatus sub distractione prohibeas, ne Ecclesias tuae Diocesis ad ordinationem tuam pertinentes absque assensu tuo intrare audeant, aut detinere, aut te dimittere inconsulto.* C. 4. h. t. Plerumque tamen ex recepta consuetudine fieri solet, saltem loquendo de Beneficiis simplicibus, v. g. Canonizatibus, ut possit resignatio fieri in manus Collatoris Ecclesiastici, qui non sit Episcopus, teste Laymanno in C. *Admonet* h. T. N. 7. nullatenus tamen in manibus Laici, c. 8. h. t. nisi id competat Principibus ex Privilegio Apostolico.

Pro tertia Parte vide dicta N. 6. 7. 8. h. T.

TL.

TITULUS XI.

De temporibus Ordinationum, & qualitate Ordinandorum.

§. I.

De ipsi Ordinibus.

1. **E**xactissimam Ordinis, quemadmodum hic sumitur, ideam nobis tradiderunt Patres Tridentini, Sess. 23. ex cuius cap. 1. & 2. Sylvius in quaestione 34. Suppl. S. Th. articulum 2. hanc eruit definitionem: *Ordo est Sacramentum novae Legis à Salvatore nostro institutum, quo traditur potestas consecrandi, offerendi, ac ministrandi Corpus & Sanguinem ejus, nec non Sacerdotio ex officio deservendi.* Recte autem hoc Sacramentum Ordinis nomine venit, eo quod in Ministerio Sacro multi sunt gradus, & variae functiones, certa ratione distributae & collocatae.

2. Magna autem inter Catholicos est controversia, 1. an ex septem Ordinibus in Ecclesia communiter admissis singuli sint Sacramenta, & consequenter à Christo immediate instituti? Id enim salva fide de Diaconatu negavit, quamvis temere, Durandus. De Subdiaconatu vero & reliquis 4. Minoribus ex gravibus fundamentis plerique Recentiores. 2. An his Ordinibus adnumeranda veniat prima tonsura tanquam verus Ordo, & Episcopatus tanquam Ordo à Sacerdotio adaequate distinctus? Notae nostrae historicae ab his controversiis praecedendo, quae certa, quaeque dubia de Ordinibus sunt, exponent.

3. Septem primis Ecclesiae Saeculis Ordines obtinuerunt in Ecclesia Latina, videlicet, Presbyteratus, Diaconatus, Subdiaconatus, Acolythatus, Exorcistatus, Lectoratus, & Ostiariatus.

De Sacerdotibus & Diaconis Sacrae Paginae Act. 20. v. 28. item 6. v. 7. 1. ad Timotheum, & alibi apertam adeo mentio-

nem faciunt, ut eos tempore Apostolorum existisse certum sit. Quantum ad reliquos Canon Apostolorum 42. (Tit. 2. N. 25.) nominat Subdiaconos & Lectores, quibus in Constitutionibus, iisdem Apostolis adscriptis, additur & Exorcista. Ex his tamen monumentis hi Ordines ad ipsos Apostolos tuto referri nequeunt, cum sint supposititia; primorum tamen saeculorum disciplinam referant. (N. 26. & seq. 66. & seq. tit. 2.) Et cum Ep. S. Ignatii M. ad Antiochenos, & Dionysii Libri de Hierarchia Ecclesiastica aetate multis sint suspectae fidei; ex illa & hujus c. 3. Subdiaconos, Lectores, Ostiarios, aliosque Ecclesiae Ministros primo Saeculo, quo floruerunt illi, existisse, tuto colligere non possumus. Antiquissimum igitur, & authenticum testimonium de Lectoratu habetur apud Tertullianum Saeculi II. Authorem, qui Libro de Praescriptionibus c. 41. carpens haereticorum ordinationes leves, ac temerarias, inquit: *Itaque alius hodie Episcopus, alius cras: hodie Diaconus, qui cras Lector: hodie Presbyter, qui cras Laicus.* Omnium vero distinctam enumerationem habemus in authentica S. Cornelii Papae ad Fabium Antiochenum ep. Anno 252. scripta, quam nobis conservavit Eusebius in Froboniana edit. lib. 6. c. 34. pag. 156. in Valesiana vero lib. 6. c. 43. in qua legimus: *Is autem (Novatus), qui Evangelium venditabat, nesciebat, in Ecclesia Catholica unum Episcopum esse debere, ubi videbat esse Presbyteros quadraginta & sex, Diaconos septem, Subdiaconos septem, Acolythos quadraginta & duos, Exorcistas & Lectores cum Ostiariis quinquaginta & duos.* Fragmenta ex Cajo & Sylvestro RR. Pontificibus apud Gratianum dist. 77. c. 1. item 93. c. 5. ubi iudem

Mm

Or-

Ordines enumerantur, omitimus; tum quia hi Pontifices Cornelio sunt posteriores; tum quia desumpta sunt ex eorum monumentis suppositiis. (Tit. 2. N. 155.)

4. Soli autem hi VII. Ordines in Ecclesia Latina ad usque nostra tempora indubitanter ab omnibus pro veris Ordinibus habitii sunt: quibus nimirum initiati, vel ex officio Eucharistiam conficerent, offerrent, & ministrarent, vel Sacerdotio ex officio deservirent.

Propositio, præter plura Patrum recentiorum monumenta, quibus VII. hi Ordines enumerantur, liquet 1. ex eo, quod usque hodie Canonizata & Theologi circa primam Tonfuram, an sit verus Ordo, & circa Episcopatum, an sit Ordo à Sacerdotio adequate distinctus, dissidentes, de horum Ordinum veritate (præcindo nimirum an omnes insuper rationem veri Sacramenti habeant) & distinctione conveniant, idque evincunt ex suscipiendo antiquitatis monumento, nimirum ex Concilio Carthaginensi IV. sæculi IV. sine habito, apud Coletum tomo II. Concilior. col. 1433. quod tam Canone 2. 3. & 4. in quibus tractatur de Ordine Episcopi, Presbyteri, & Diaconi; quam in sequentibus, in quibus de Subdiacono & reliquis 4. Minoribus verba facit, verbo *Ordinationis* utitur, *Presbyter cum ordinatur, Acolythus cum ordinatur, &c.* De quo uberius N. 26. h. T. ex qua phrasi si non extenditur hos Ordines esse vera Sacramenta, certe evincitur contra Novatores, jam tum habitos fuisse pro veris Ordinibus, & non pro talibus muniis, quæ obvis Laicis promiscue & ad arbitrium imponerentur: ita ut juxta ritum Tertullianæum (N. 3. h. T.) *hodie esset Diaconus, qui eras Lector, hodie Presbyter, qui eras Laicus;* sed quibus initiati in gradu Ecclesiastico constituerentur, & Sacerdotio ex officio deservirent.

5. Præter horum Ordinum nomina in primitivæ Ecclesiæ monumentis occurrunt etiam nomina Episcopi, Psalmista seu Can-

toris, Custodis Martyrum, Laborantis, seu Fossarii, aut Vespillonis, Canonico-rum, Chorepiscoporum, Episcoporum, Presbyterorum, Diaconissæ.

Nomine Episcopi, seu Superintendentis & Adæ Apostolorum, & eorum Epistolæ, Conciliorum, Patrumque monumenta plena sunt. De Psalmistis seu Cantoribus agunt, præter Canones Apostolorum, Concilium Laodicenum Can. 23. Carth. IV. Can. 10. S. Isidorus apud Gratianum dist. 21. C. 1. Fossariorum meminere Author Ep. Ignatiæ ad Antiochenos jam citatæ, Epiph. in Comp. Doct. Cath. c. 21. & plures alii; Codex item Theodosianus Lib. 1. Justinianus item Nov. 43. & 59. Custodum Martyrum decreta Sylvetrii Aurelianensis II. Synodus Can. 13. Gregorius Turonensis Lib. 4. Hist. c. 11. Canonico-rum Synodus III. Toletana Can. 5. Trullana Can. 6. Chorepiscoporum Synodus Ancyrana Can. 9. & alia primitivæ Ecclesiæ monumenta. Diaconissarum, &c. Epiphanius lib. cit. & alii primorum sæculorum Patres.

6. An Episcopatus sit Ordo à Presbyteratu adequate distinctus? sub judice lis est: reliqua enumerata officia nunquam fuisse aut esse inter Ordines computanda, omnes facile consentiunt.

Prima pars patet ex dissidio Scholasticorum. Quantum ad 2. Psalmistæ apud Græcos cum Lectoribus confunduntur, & unus Ordo sunt; in Lectorum enim ordinatione præcipitur Initiatio, ut *si canere sciat, & Psalter sit, legat aliquid de Psalterio, uti habet Pontificale Græcorum* pag. 38. teste Berto. Et Rituale ipsorum, quod edidit P. Goar, ordinationem Lectoris & Cantoris una Rubrica comprehendit pag. 195. *Postquam tonsus fuerit in Lectorem & Cantorem promovendus;* ibi. Apud Latinos vero Psalmistæ peculiari Ordine minime inaugurantur; hoc enim nomine vel intelliguntur ii, qui sola Tonfura initiati ad psallendum in Choro admittuntur cum aliis Clericis, vel hi etiam, qui

ab

absque ulla Clericali initiatione funguntur Cantorum officio. Unde supra laudatum Concilium Carth. IV. dum Canone 10. agit de Psalmista, & 11. de consecratione Sanctimonialis, à voce *ordinationis* prorsus abstinet, dicens: *Psalmista, id est, Cantor, potest absque scientia Episcopi sola jussione Presbyteri officium suscipere cantandi.* Similia habentur in Ordine Romano, &c.

Fossarii, seu illi, qui mortuos curabant, & sepeliebant, principio non alia ratione nomine Clericorum honestantur, nisi quia aliunde Clericis id officii mandabatur. Hinc Scriptor de VII. Ordinibus in Appendice Hieronymiana ait: *Clerici in similitudinem Tobie sancti sepelire mortuos admonentur;* quod imprimis servatum fuisse in sepeliendis Corporibus Martyrum, nullum est dubium. Accedit quod Concilium IV. Carthage, toties laudatum Canone 81. officium humani mortuos committit publicam penitentiam agentibus: quod utique non fecisset, si Vespillonum officia ad Ministeria Clericalia tum pertinuisent.

Custodes Martyrum, seu Martyriarii, teste Gregorio Turonensi L. N. præced. cit. erant Subdiaconi, quibus Sacrarum Reliquiarum committebatur custodia, & constat ex notis Eruditorum ad volumen II. Anastasi pag. 303.

Canonici principio vocabantur, qui Ecclesiæ interserviebant, & universim Clericis omnes, aut quod sub canone essent, aut quod canonicam vitam agerent: uti colligitur ex citatis Canonibus Toletanæ, & Trullanæ Synodi N. præced.

Chorepiscopi, id est, præcipui quidam Villarum Sacerdotes, sic dicti, quasi Episcopi ruris, sive Episcopi fuerint, sive simplices Sacerdotes, hoc ipso ad peculiarem Ordinem non spectant.

Subdiaconissæ denique, Diaconissæ, Presbyteræ, & Episcopæ appellatæ fuerunt à Concilio Turonensi c. 19. uxores initiatorum. Nihilominus Diaconissæ quoque

dictæ sunt Mulieres quædam insignes integritate, ac pietate, quæ obibant munia ducenti, & denudandi feminas tingendas Baptismate, suo vel sexu Ordinationis incapaces.

7. Præter enumeratos Ordines, Clericorumque officia, antiquissimum est adhuc in Ecclesia Ritus Clericalis Tonfuræ.

An distincta sit à Psalmistatu; item an verus Ordo? controversitur. Nam inde ait Calvinus lib. 4. Instit. c. 19. N. 9. quod præcis Ecclesiæ Sæculis capillum non alerent nisi delicati; ideoque Clericos jussos tonderi, ne effeminati crederentur. Joannes Spencerus item Hæreticus de Hebræorum Legibus, & Ritibus lib. 3. c. 6. initium Tonfuræ Nazæorum, unde permulto nostram esse derivatam existimant, repetit ex moribus Ethnicorum, qui in juventutis flore Apollini Pythio comam siccabant, teste Plutarcho de moribus Atheniensium. Ex nostris Morinus de Sac. Ord. P. 3. Exercit. 15. postquam de Tonfuræ origine plura dixit, N. 9. sententiam illam amplectitur, quæ asserit, primos Ecclesiæ Initiatores, uti majori ludibrio afficerentur, à persecutoribus tonsos fuisse, quod ignominiosum erat, ac servitutis insignes postea vero ab iisdem Institutoribus in trophæi argumentum illam Tonfuram fuisse convertiam. Alii demum, qui de Sacris Ritibus tractarunt, ut Iidorus de Off. Eccl. l. 2. c. 4. Rabanus, Martenus, &c. censent, Clericalem Tonfuram ab Apostolicis temporibus usurpatam. Vide Bertum lib. 36. Theol. Discipl. c. 3. N. 1. Antiquissimam esse, certum est ex Gregorio Turonensi Scriptore VI. Sæculi præclarissimo, qui lib. 1. de Gloria Martyrum cap. 27. ait, Petrum Apostolum instituisse, ut caput (Clericorum) deluper tonderetur. Ex quo apparet, tempore S. Gregorii Turonensis, seu Sæculo VI. ritum Clericalis Tonfuræ jam fuisse immemorabilem; si enim recens, & memorabilis fuisset, mendacii Vir summus redargui nullo negotio potuisset, dum illum ad B. Petri institutionem

Mm 2

nem

nam result. Accedit, quod tam Occidens, quam Oriens, & univēsa Nationes, in quibus propugnata est Christiana Religio, habent Clericos à Laicis corona capitis, ac Tonfura discretos. Cujus ritus cum originem ex aliquo authentico Ecclesiastico monumento deducere nequeamus; (Aniceti enim Papæ, qui sedit A. C. 84. epistola rel. dist. 23. c. 21. Eruditus est supposititia, sicut & volumen Abdiæ Babilonii lib. 9. Indorum Regem à S. Thoma Ap. in Clericum fuisse attonsum narrantis) eum vel ab ipsis Apostolis, vel eorumdem immediatis Successoribus derivatum valde est verosimile.

8. Clericalis Tonfura antiquissimis temporibus jam in modum coronæ deferebatur.

Id testatur Gregorius Turonensis, dum S. Nicetium Episcopum, ait, partu effusum mirabili eventu apparuisse Clerici coronam signatum. Et S. Iudorus Sæculi VII. initio lib. 2. de Officio Eccl. c. 2. inquit: *Quod vero de tonsa capite superius, inferius circumculi coronam relinquitur, Sacerdotium, Regnumque Ecclesie in eis existimo figurari.* Quamquam non eandem formam in omnibus Ecclesiis hæc corona præstulerit, & de factis præferat. Nam Orientales sere totum occiput, & magnam partem lincipitis tondere solent forcipe, non autem novacula, ne cute apparente videantur similes rasorum, ac Sacerdotum Iudis; & hoc tantum vult Hieronymus in c. 44. Ezechielis, dum scribit, non debere Sacerdotes incedere rasos capitibus, sicut Sacerdotes Iudis; non autem improbare Tonfuram Clericalem, ut imperitissime quidam scripsere; cum illam potius ibi deferebat.

9. Valde probabile est, primis V. Sæculis Clericalem Tonfuram nunquam fuisse collatam separatim ab aliis Ordinibus, sed simul cum primo Ordine, velut ritum illius collationi annexum; eamque primo circa A. 700. ab omni Ordine separari cepisse.

Primum solide ostendit Morinus de Sacris Ordinibus P. 3. Exercit. 15. c. 3. Et in Ecclesia Græca adhuc Tonfuram cum Lectoratu conferri, testis est Rituale Græcorum R. P. Goar rubrica de Ordine fieri solito in Ordinatione Lectoris, & Cantoris pag. 194.

De occasione immutationis hujus disciplinae in Ecclesia Latina Sæculo VIII. hæc scribit prælaudatus Morinus l. cit. *Parentes filios suos impuberes, imo fere infantes Ecclesiasticis Officiis consecrabant, & Episcopis instituendos offerebant. Eos Episcopi in eadem domo educandos, & instruendos curabant, ut essent Clerici reparandi velut Seminarium, eorum institutioni senex aliquis à Clero prescribatur, atque ut plurimum Archidiaconus. Dum autem propter ætatis infirmitatem Ostiariorum aut Lectorum Officiis in Ecclesia fungi non possent, Ordines illos illis non conferrebat; sed solam Tonfuram cum veste Clericali. Tonfuram ideo ab Ordine separantes, ne pueri isti Ecclesie Ministerii parentum pietate devoti, ut prorsus seculares & profani, hominum oculis comparerent. Longo post tempore, quod in pueris fiebat propter ætatis infirmitatem, in ætate valentibus usurpatum est, Tonfuraque Clericalis, ut Ordo quidam ab aliis separatus, quibuscumque separatim collata est. Hæc ille.*

10. Non est æque certum in Ecclesia Orientali primis Sæculis in usu fuisse IV. Minores Ordines N. 3. enumeratos. Quamvis plures, præter Lectoratum, ibidem in usu fuisse sit verosimiliter.

1. P. inde patet, quod nullus ex Canonibus, vel Patribus Græcis tum ibi relatis, tum aliis Acolythatus mentionem facit, præter Rectores Joannem Episcopum Cypri, & Simeonem Thessalonicensem, apud Goarium cit. pag. 197.

Quantum ad 2. ibi relati Patres Græci & Canones Græci, præter Lectores, etiam Exorcistas & Olliarios nominant. Nec valere videtur quorundam effugium: Patres

& Concilia, dum Janitores, & Exorcistas memorant, non de Ordinibus proprie dictis, sed de ministeriis in Templo exercendis, absque peculiaris Ordinis initiatione accipiendos esse; ut enim bene respondet Bertus L. cit. non queritur, an hi Ordines sint divinæ institutionis, ac Sacramenta, vel ministeria dumtaxat ab Ecclesia instituta? id enim quoque disputatur de Ordinibus ritu Latino collatis: sed queritur, an ipsi Ordines, etiam apud Græcos, primis Sæculis existerint, & sacro quodam ritu collati fuerint? Id quod de tribus Sæculis prioribus, & sæculis mediis, etiam de quatuor, probare nititur Bertus l. cit.

11. In eadem Ecclesia Orientali apud Græcos hodie solus Lectoratus seorsum confertur. Acolythatus & Olliarius simul cum Subdiaconatu. Exorcistatus vero negligitur; qui tamen ab aliis Ecclesiis Orientis cum Diaconatu vel Psalmistatu tribuitur.

Rituale Græcum primam partem in aprico ponit; in eo quidem solius Lectoris Ordinatio inter Minores Ordines describitur.

Secunda colligitur ex ritu, quo Orientales initiant Hypodiaconum. Nam Græci, ut constat ex pluribus Codicibus collectis, editisque à Morino, in ipsa Subdiaconi Ordinatione utuntur formula, in qua, præter alia, leguntur sequentia: *Ipse Domine conserva illum in omnibus sine querela, & reprehensione: da illi amare bonitatem, & decorem domus tue, assistere portis Templi sancti tui, accendere lumen tabernaculi gloriae tue.* Hinc SS. Dominus noster Benedictus XIV. in Constit. *Et si Pastoralis*, de ritibus Græcorum N. 7. definit: *Quod si Clericus Græcus, Lector tantum initiatus, ex benignitate Sedis Apostolicæ obtinuerit, ut Majores Ordines Latinis Cæremoniis sibi conferantur; is antequam Subdiaconus ordinetur, tres Minores Ordines omisos debeat ritu Latino suscipere. Si vero, præter Lectoris Ordinem, ad Subdiaconatum etiam græ-*

co ritu ascendit, & ex dispensatione ipsidem Apostolica facultas sibi facta sit, ceteros Ordines ritu latino suscipiendi; antequam inter Diaconos cooptetur, ex Minoribus Ordinibus Exorcistatum tantummodo supplere cogitur; cum per Subdiaconatum græco ritu collatum Acolythatum, & Olliariatum recepisse censatur.

Pro 3. p. expendatur illico dicta. Quantum ad 4. Maronite censent, Exorcistatum conferri in Ordinatione Psalmistis; quia Episcopus Psalmem initiatis, & porrigens ei Librum Psalmorum, quo in Ecclesia Orientali energumini exorcizantur, inquit: *Mereatur conculcare serpentes & scorpiones.* At Abraham Echellensis, & alii opinantur, apud Syros Exorcistatum conferri simul cum Diaconatu.

12. Ex enumeratis VII. Ordinibus alii vocantur Sacri, alii non Sacri. Sacri sunt Presbyteratus, Diaconatus, & Subdiaconatus. Non Sacri sunt reliqui IV. Minores.

13. Unde dicantur Ordines Sacri? Scholasticis non conveniunt.

Plurimi judicant, Ordines dici Sacros, quia ipsis annexum sit votum solenne castitatis. Sed difficile, imo falsum videtur Berto & Espenio calibatum ad Sacri Ordinis substantiam requiri; quia si hoc esset, Subdiaconatus Sequi VI. jam fuisset Ordo Sacri; cum illo tempore generaliter omnibus ad illum promovendis à S. Gregorio M. Lib. 1. Ep. 42. calibatus impositus fuerit; quod tamen est contra propriam illorum sententiam, quia existimant, Subdiaconatum per priora XII. Sæcula in Ecclesia Latina non fuisse existimatum Ordinem Sacrum. Insuper Græci, qui uxores ante Subdiaconatum ductas retinent Diaconi, & Presbyteri, non habent Sacros Ordines.

Alii Ordinem Sacrum & Majorem illum existimant, qui confertur in Ecclesia Jurisdictionem aliquam, & Principatum. Et hoc sensu censent, solum Episcopatum, Presbyteratum, & Diaconatum posse appellari

pellari Ordines Sacros, seu Hierarchicos; non autem Subdiaconatum, quoniam ipsis solis ab antiquis temporibus hierarchica respective iurisdictione competit, videlicet, Plebem regere, Sacramenta aliqua ministrare, prædicare Verbum Dei, & benedicere.

Denique Ordo Sacer dicitur, quatenus tribuit spirituales facultates proprias inferiendi in Ministerio Altaris, in illo collocandi oblationes, & sacra vasa proprio sibi commisso munere contrahendi; & si Ordo Sacer hoc sensu dicatur, respectu Bertus de Sacramento Ord. c. 5. etiam Subdiaconatum à primis Ecclesiæ sæculis fuisse Sacrum Ordinem.

Nos, litem hanc declinando, asserimus, Subdiaconatum votum continentiæ Sæculo V. imponi cepisse, & Sæculo VI. generaliter mandatum fuisse; uti constat ex ep. 12. Leonis M. ult. edit. atque ex 42. Gregorii M. mox relata; ac deinde tribus post Sæculis in aliquibus Ecclesiis Sacris Ordinibus annumerari, & iunctim cum his inter Missarum Solemnia conferri cepisse; tandem Sæculo XIII. seu tempore Innocentii III. inter Sacros Ordines communiter computatum fuisse. Vide Cap. A multis 9. de etate, & qualitat. & Ord. Praeficiendorum, & citatum ibi Canonem 4. dist. 60. qui est Urbani II. A. 1091. sedentes, non primi, ut mensio impressum passim habetur in citato Cap. nono.

14. Quatuor Minores Ordines, imo & Subdiaconatus primis Ecclesiæ Sæculis non præmittentur semper Diaconatu, & Sacerdotio; neque, quemadmodum hodie, exlimatum fuit, illum per saltum, aut minus canonicè fuisse ordinatum, qui uno, aut pluribus, vel subinde etiam omnibus Minoribus omisissis, ad Diaconatum, altiorisque Ordinem promotus fuisset.

Hanc fuisse disciplinam Ecclesiæ Græcæ vel ex eo constat, quod non omnes quatuor ex his Ordinibus apud ipsam in usu fuerint (N. 10. h. t.). De Latina habemus exempla luculenta: sic Paulinus Mo-

nachus & frater S. Hieronymi, teste S. Epiphano ep. 60. inter Hieronymianas, per multos Diaconos apprehensus, Diaconus primum, deinde Presbyter ordinatus est. Sic Severus Sulpitius in vita S. Martini Turonensium Episcopi narrat, S. Hilarium Pictaviensium Episcopum voluisse B. Martino, cum adhuc Laicus esset, statim Diaconatum conferre; cum autem se indignum tantæ dignitatis existimaret, ei Exorcistatum contulit: quo solo habito, deinde ad Diaconatum ascendit. Quo uno exemplo invictè demonstratur intentum; non enim tum Juris Canonici, tum consuetudinum Ecclesiæ Sæculo IV. receptarum imperitus, vel incurius censendus est Magnus Hilarus. Alia exempla videri possunt apud Morinum P. 3. Exercit. 11. c. 2. & apud Thomasinum p. 1. l. 2. cap. 35. Decretum Sylvetri Papæ relatum dist. 77. c. 1. dictis non obest; tum quia non est aperte contrarium; tum quia Viris eruditissimis sit suppositum (tit. 2. N. 155.). Eis vero favent Canones 2. & 3. citatæ dist. in quibus à Zozimo & Siricio inter gradus ad Majores Ordines non omnes quatuor Minores enumerantur.

15. Iisdem tamen Ecclesiæ Sæculis in utraque Ecclesia Ordo Presbyteratus non conferebatur nisi Diaconis, nec Episcopatus nisi Presbyteris.

Utriusque Propositionis fundamentum habemus in Sardicenis Concilii Canone 13. ubi statuitur: *Ut non prius ordinetur Episcopus, nisi ante & Lectoris munere, & officio Diaconi, aut Presbyteri fuerit perfunctus: & ita per singulos gradus, si dignus fuerit, ascendat ad culmen Episcopatus.* In hoc Canone particulam aut copulative pro & sumi, constat ex textu Græco, eum ita vertente, & ex tō per singulos gradus ascendat, aperte colligitur; sicut & ex ipso scopo canonis; cum editus potissimum fuerit adversus Isehyram, famosum illum S. Athanasii adversarium, cui ingesto Episcopatu, etsi Presbyter non fuisset, auctoritatem conciliare se posse spera-

speraverunt ejus fautores. Quod præter Leges omnes Ecclesiæ sanctissimas molitus esse, & iudicatoria Ordinatione in fumos dissipata, tam non esse Episcopum Isehyram, quam nec Presbyterum, profuturum S. Athanasii Apologia II. Theodoret. lib. 2. cap. 8. Socrates lib. 2. c. 20. idque firmat consans Ecclesiæ consuetudo, Ordinem Presbyteratus nonnisi Diaconis, & Episcopatus nonnisi Presbyteris conferentis, fundata in decretis Siricii, Innocentii, Zozimi, Coelestini, & Gelasii, relatis dist. 77. ita ut veritati utriusque propositionis obesse non possit silentium Scripturæ in Ordinatione Barnabæ, Silæ, Barsabæ, Titi, Timothei, &c. cum argumentum negativum, adeoque hæc in re infirmum, solum efficiat, nec exempla quarundam extraordinariorum Ordinationum in Presbyteros & Episcopos, quæ refert Thomasinus L. præcedenti N. citato, quia vel non clare contrarium monstrant, vel meri facti sunt, miranda potius, quam imitanda.

§. II.

De materia, forma, & ritu Ordinum.

16. **M**ateria horum Ordinum in Ecclesia non fuit semper eadem.

In Ecclesia Latina Sæculi IV. sine Presbyteratus non conferebatur per Calicem cum vino, & Patenæ cum hostia; nec Diaconatus per Evangeliorum traditionem: sed prior per manus Episcopi, & presentium Sacerdotum; posterior per solius Episcopi manus impositionem, teste Canone 3. & 4. Concilii IV. Carthaginensis, sæpius jam laudati: ejus Ecclesiæ disciplina illis sæculis Romanam ex asse spirabat. De Ecclesia Græca certum est, apud illam in Ordinatione tum Presbyterorum, tum Diaconorum incognitam semper fuisse, & de facto esse traditionem illam instrumentorum, Ritualibus illorum tum antiquis, tum recentioribus id attestantibus. Videatur infra N. 19.

17. Major tamen est modernæ disciplinæ cum antiqua conformitas in Ecclesia Latina, quantum ad Subdiaconatum, & reliquos minores Ordines.

Nam Canone V. dicti Concilii Sæculi IV. sine celebrati pro Subdiaconatu, quemadmodum nunc, determinatur traditio Calicis vacui, & Patenæ vacuæ per Episcopum, & Urcæoli cum aqua, atque Manutergii per Archidiaconum; libri vero Epistoliarum nulla fit mentio. Canone VI. pro Acolythatu, quemadmodum nunc, determinatur Ceroferaarium cum cereo, & Urcæolum vacuum; tradenda tamen ab Archidiacono. Canone VII. pro Exorcistatu determinatur liber Exorcismorum, tradendus ab Episcopo. Canone VIII. pro Lectoratu, quemadmodum nunc, determinatur Codex Verbi Dei, tradendus ab Episcopo; hoc tamen speciale habet, quod Episcopus præcipiat, ut cum ordinatur Lector, de illo verbum ad Plebem faciat, indicans ejus fidem, vitam, atque ingenium, quod hodie non observatur. Canone denique IX. pro Ostiariatu, quemadmodum nunc, determinatur traditio Clavium Ecclesiæ, nulla mentione facta Cymbali. In Ecclesia vero Græca ex dictis N. 11. h. T. & Ostiariatus, & Acolythatus cum Subdiaconatu conferuntur; neque autem in Subdiaconatu, neque in Lectoratu conferendo traditio instrumentorum in Ecclesia illa adhibetur, teste Morino Exercitatione 11. nimirum, tanquam materia Ordinis; nam teste Goario in Rituali Græcorum, in notis ad Ordin. Subdiaconi N. 18. pag. 207. Officiorum quidem suorum instrumenta tradunt recenter ad Ordinem promotis Græci, non quibus primam & radicalem, ut dicunt, Ordinis potestatem illis conferre censeantur, sed quibus potius ad acceptum munus exercendum excitent. Id quod primo etiam intendebatur in Ecclesia Latina, dum Diaconis, & Presbyteris instrumenta tradi cœpere (N. 19. h. t.).

18. Hæc instrumentorum traditio videtur primo facta fuisse post Ordinationem,

ut indicaretur Ordinato, quid vi Ordinationis susceperat agendum haberet.

Hæc conjectura fundamentum habet in Hugone à S. Victore, qui Sæculi XII. initio lib. 2. de Sacramento Fidei p. 3. c. 11. de Presbyteris hæc scripsit: *Accipiunt & Calicem cum vino & Patenam cum hostiis de manu Episcopi.* Rationem subjungit: *Quatenus his instrumentis potestatem se accepisse agnoscant, placabiles Deo hostias offerendi.* Similia eadem tempestate scribit Magister Sententiarum lib. 4. dist. 24.

19. Cum primitus in Ecclesia Latina Presbyteratus & Diaconatus non conferretur, quemadmodum nunc, per traditionem dictorum instrumentorum, nec formam modernam in collatione horum Ordinum fuisse adhibitam certum est.

Propositio vel ex eo constat, quod verba in traditione horum instrumentorum, hodie ab Ordinate profertur solita, ipsi traditioni ceu quædam formulæ subserviant; nec ab Ecclesia Græca ex defectu similis traditionis adhibeantur. Quamvis autem hæc tenus dicta abunde evincant, traditionem instrumentorum non posse dici materiam vel formam *essentialem* Ordinum, ita ut illa *semper* fuisset necessaria, aut nunc ubique ita requireretur, ut defectu illius Ordo *invalidè* conferretur collatus; tamen in his omnibus cum omni exactitudine servanda sunt singularum Ecclesiarum Ritualia: nec quidquam omnittendum eo prætextu, quod illud ceremoniale dumtaxat videatur: præsertim quod licet satis constet, traditionem instrumentorum, & verba ei respondentia, aliæque recentem in Ordinum collatione adhibita, non posse dici *semper* fuisse materias, aut formas *essentiales* à Christo institutas; tamen certum videatur, quod postquam ab Ecclesia Latina communiter præscripta sunt, & recepta cum reliquis, quæ antiquitus semper adhibita sunt, constituant *nunc* materiam & formam *essentialem*, à qua validitas Ordinis dependeat.

20. Inter sacros ordinationum ritus præcipue notanda venit unctio Presbyterorum, in manibus adhiberi solita.

Illam non est in usu apud Græcos, testibus eorum Ritualibus. Apud Latinos, tempore Nicolai Papæ I. seu Sæculi IX. medio, ignota adhuc fuit; sic enim scribit Radulpho Archiepiscopo Bituricensi apud Gratianum dist. 23. cap. 12. *Præterea sciscitarius, utrum solis Presbyteris, an & Diaconis debeant, cum ordinantur, manus Chrifti liquore perungi? quod in Sancta Romana Ecclesia, cui Deo Auctore deservimus, neutris agitur; sed & quia sit à nove Legis Ministris actum, nusquam (nisi nos fallat oblitio) legitimo.* Imo plures Ecclesias eam satis sero admisisse probat Morinus Exercit. 6. c. 4. N. 1. & 2.

§. III

De Officiis Ordinatorum.

21. **O**fficia IV. Minorum Ordinum in Ecclesia Latina Sæculo IV. eadem fere erant, quæ modo.

Vi enim materiæ ex decreto Canonum 6. 7. 8. & 9. Concilii Carth. IV. his Ordinibus initiandis tradendæ (N. 17. h. t.) Ostiario commitebatur cura claudendi, & aperienti ea, quæ clavibus ab Altario ei traditis recondebantur. Lector de Codice Sacro sibi tradito, Populo prælegere, eumque instruere debebat. Exorcistæ dabatur facultas manus energumenis imponendi, eosque exorcizandi; ac demum Acolythus scire debebat: *Se ad accendenda Ecclesiæ luminaria mancipari, atque ad suggerendum vinum in Eucharistiam Sanguinis Christi.* Verba sunt Canonis. Hoc tamen discrimen inter veterem illam ac modernam disciplinam observandum: Olim singulos Ordinatos in singulis Ordinibus prius fuisse exercitandos, atqueam ad altiore gradum ascendere permitterentur: nunc autem & IV. Minores simul conferri, & illorum officia vel per constitutos in altioribus,

ribus, vel per Laicos obiri. Ex S. Cypriano præterea discimus, Lectorem in Africa pacem Populo annuntiasse, & Evangelium in Ecclesia legisse; Acolythos insuper detulisse Ecclesiasticas Episcoporum ad suos Collegas Epistolæ, quibus gravissimis de rebus Ecclesiæ, sæviente persecutionum procella, inter se consultabant. Hæc ille lib. 2. ep. 5. 8. 10. & lib. 3. ep. 7. 11. & 24.

22. Officia Subdiaconorum enumerat Pontificale Romanum, *Subdiaconum*, ajens, oportet aquam ad ministerium Altaris præparare, *Diacono ministrare, Pallas Altaris, & Corporalia obtinere, Calicem & Patenam in usu Sacrificii eisdem offerre, denique Epistolam in Ecclesia Dei legere.*

Priora Officia Subdiaconorum hodie fere reducuntur ad ministerium Altaris in Missa Solemni, cum in Missis Privatiss illa vel per Laicos, vel per Sacerdotem obeantur. Imo in ipsa Missa Solemni sæpe tum per Diaconos, tum per Presbyteros, quod olim non erat in usu. Posterius etiam Officium, quod hodie præcipuum creditur, videlicet solemnis decantatio Epistolæ, olim in Ecclesia Latina inter Officia Subdiaconi non recensebatur; cum Canone V. Concilii Carthag. IV. nulla libri Epistolæ mentio fiat (N. 17. h. t.) & fufe ostendit Morinus P. 3. Exercit. 12. cap. 1. Nec hodie apud Græcos recensetur, ut idem probat ibidem. Cui tamen oblatæ videtur testimonium Neophyti Rhodini, qui praxim Ecclesiæ suæ, teste Goario L. N. 17. cit. Romæ nuper vernacule exposuit, atque ait: *Subdiaconi munus est, ut induat Episcopum & Sacerdotem: ut propositionem præparet, Calicem, Patenam, & reliqua pro Offertorio, ut vela lavet, & Apostolum legat.* Subdiaconorum præterea officium apud Græcos fuit, Ecclesiæ foribus aditare, inducere, & educere Catechumenos, Pœnitentes, & quosvis alios, teste Blastare c. 4. item Crucem in Processionibus & publicis supplicationibus

Tom. I.

deserre, quod etiam apud nos observatur. Vide Goarium I. cit.

23. Amplissima primis Ecclesiæ Sacralis erant Diaconorum officia, quæ tamen ex moderna Ecclesiæ disciplina multum sunt restricta, imo nec hæc ab ipsis plerumque exercentur.

Membrum primum evincunt eloquia Diaconis seu Ministris à Patribus recitata. *Sine ipsis Sacerdos nomen habet, officium non habet*, verba sunt Isidori de div. off. l. 2. c. 8. Et Auctor Constitutionum Apostolicarum lib. 2. c. 44. post relata plurima Diaconorum officia ait: *Ceterum sit Diaconus Episcopi auri, & oculis, & iterum os, cor, & anima, ne Episcopus sollicitudine multarum rerum, sed graviorum dumtaxat urgeatur.* Nec immerito hæc dicta sunt; siquidem in Divino Officio ita Diaconus Sacerdoti Minister assistebat, ut pene omnia, ipso monente, & intendente, peragerentur; quin & consecratus Sanguis in vase, & in quibusdam Ecclesiis Corpus ipsum Dominicum per ipsum Fidelibus distribuere. Plurima insuper in Sacris Ordinationibus, in Baptismis Solemnibus antiquorum, in consecratione Chriftinæ, & omnibus Ecclesiasticis Officiis Diaconorum erant Officia; quin imo negotia fori atriusque, voluntarii nimirum, & contentiosi, Episcopi per Diaconos ut plurimum componebant: quæ causa fuit, ut se aliquando ipsis Presbyteris præferrent. Lege Morinum P. 8. Exercit. 9. late de his differentem.

Quantum ad 2. Pontificale Romanum Officia Diaconorum hisce fere complectitur: Diaconum oportet ministrare ad Altare, baptizare, & prædicare, & præterea legere Evangelium in Ecclesia Dei.

Tertium usus hodiernus ipse demonstrat: quot enim videmus Diaconos baptizantes, & prædicantes? imo illorum Officium ad Altare ut plurimum à Sacerdotibus exercetur. Quæ disciplina mutatio inde ortum habet, quod hodie nullus ordinetur in Diaconum, ut in Diaconatu perseveret,

Nu

ret, in eoque ministrat; sed ut gradum ad Sacerdotium acquirat.

24. Presbyterorum functiones Pontificale Romanum Ordinandi proponit his verbis: *Sacerdotem oportet offerre, benedicere, præesse, prædicare, & baptizare*; deinde peracta Ordinatione, ad Ordinum dicit jubet: *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remisisti peccata, remittuntur eis, & quorum retinueris, retenta sunt.*

Primum Officium, videlicet offerre Sacrificium, competit omnibus Presbyteris indiscriminatim, & vi suæ Ordinationis: secundum vero, seu benedicere publice per certas preces, ex. gr. aquam, fruges, &c. per aliquarum Ecclesiarum usum, respectu quarundam rerum reservatur Episcopis, vel Parochiis. Tertium, nimirum præesse, hodie exercet Presbyteri, dum Populo infundendis publicis precibus præsent. Circa postremas eorumdem functiones, quæ sunt prædicare, & baptizare, sicut & circa absolutio-nem Penitentibus impertiendam, notandæ sunt dispositiones Sacrorum Canonum, præsertim Concilii Tridentini, nec non consuetudines Ecclesiarum; licet enim harum functionum exercitium Presbyteris in sua Ordinatione simpliciter, & sine restrictione concedatur; per laudatas tamen dispositiones varie restrictum est. Interim illud sat constat, Presbyteros eum in finem ordinari, ut una cum Episcopis quisque pro suo talento, & ut Ecclesiæ necessitas vel utilitas postulaverit, laborent, & Ecclesiam ædificent.

§. IV.

De Interstitiis.

25. Antiqua utriusque Ecclesiæ Lex est, ut uno inferiore Ordine suscepto, aliqua temporis mora interponatur, priusquam ad altiores ascendatur. Quam moram posterior ætas *Interstitia* appellavit. In Sardicensi Concilio, ab utraque Ec-

clesia recepto, A. 347. Osius edixit: *Habebit autem uniuscujusque Ordinis gradus non minimi temporis longitudinem, per quod & fides, & morum probitas, & constantia, & moderatio possit cognosci.* Quæ Lex, præcipue quantum ad Majo-res Ordines, fundamentum habet in Apostolo, Neophytum ad Episcopatum sublevari prohibente.

26. Hanc moram, à Sardicensi indefinitam, Siricius Papa Anno 385. epist. ad Himerium Tarraconensem c. 8. & 10. determinavit.

Juxta illam siquidem Lectorum Ordo (si ab infantia se se aliquis Ecclesiæ vovit obsequiis) ab illo obeundus erat ad pubertatem; Acolythorum vero & Subdiaconorum à pubertate ad annum ætatis 30. quæ fere 20. sunt anni tyrocinio ante Diaconatum subeundo dicati; inter Diaconatum vero & Presbyteratum interstitium quinquennium posuit; ac demum inter hunc & Episcopatum decennium. Qui vero adultus, sive Laicus, sive Monachus ad Clerum aspirabat, biennio inter Lectores, & Exorcistas stipendia facere debebat; quinquennio inter Acolythos; & consequenter septennium ex indulgentia usque ad Diaconatum currebat; à quo 5. anni Presbyteratum, & 10. ad Episcopatum inviolabiliter observandi. Refertur dist. 77. c. 3. Quæ huc accommodari possent ex actis Sylvæstri Papæ, Siricii Antecessoris, vacillantis fidei, ob horum Auctorum probabilem suppositionem, existunt. (Tit. 2. N. 188.)

27. Hæc longioris temporis interstitia diu in Ecclesia Latina religiose observata sunt, non tantum respectu Ordinum Majorum, sed etiam Minorum.

Ea siquidem vehementer inculcata sunt à Zozimo Papa, A. 417. sedente, ep. 1. ad Hefychium, apud Grat. dist. 77. c. 2. De illorum observatione Cælestinus, A. 427. sedens, vehementes & aculeatas expressiones fecit in ep. 2. ad Epif. Gallie c. 3. Et quamvis Gelasius ad Sæculi V. finem vel sexti initium de illis aliquod remisit,

ferit, temporum difficultate hanc indulgentiam extorquente; id tamen fecit multa adhibita cautione, præcis pro sui reverentia manentibus constitutis. Dist. cit. Can. 8. Idonea quoque documenta suppetunt, ut hanc interstitiorum legem in Oriente credamus valuisse; Theodorus quippe Diaconus Alexand. in Chalced. Synodo Actione 3. ait: *Quindecim annos in eodem Clero permansi, sperans & majorem honorem mereri.* Alia exempla refert Thomassin. p. 1. lib. 2. c. 36. N. 11. Sed quanta apud hanc Ecclesiam interstitia esse debuerint? ex iisdem colligi nequit.

28. Sæculi XIII. fine mos invaluit, ut interstitia inter Minores Ordines servarentur nulla, & insuper omnes IV. uni eidemque personæ conferrentur.

Ea disciplinæ mutatio inde nata est, quod tum consuetudo inoleverat absolventi minores Clericos à suis functionibus; quæ Laicis mandabantur. Sicut enim priorum Sæculorum laudabilis mos, quo Minorum Ordinum Officia per personas iidem initiatas obiri debebant, atque suæ probitatis, quæ ipsos ad altiores subinde eveheret, in ipsis specimina dare, causa fuit, quod non omnes IV. simul & semel, nec etiam eidem personæ conferrentur; sed Clerici per intervalla subinde in pluribus, subinde in paucioribus exercerentur, prout nimirum, pro cuiuslibet qualitate, Episcopo expedire videbatur (N. 14. h. T.); ita dum hæc omnia Laicis demandari ceperunt, & Clericorum aliunde, quam ex his Officiis probanda esset ad altiores Ordines dignitas, hæc quoque disciplina invaluit.

29. Hanc disciplinæ mutationem graviter illis Sæculis tulerunt Concilia varia; & antiquam resuscitari, quantum fieri potest, mandat Tridentinum.

Concilium Lambethense A. 1281. celebratum Canone 5. inquit: *Contra dignitatem igitur tam reverentissimi esse dignoscitur Sacramenti, quinque simul Ordines, scilicet, Ordines non Sacros cum uno Sacro alicui uni homini exhibere. Un-*

de in nonnullis aliis Provinciis quatuor Minores Ordines non simul faciliter conceduntur, & conferuntur; ut ascendentes Clerici ad Christi Mysteria, quasi graduum canticum concinentes, cum probati existerint in minoribus Officiis, gradatim demum procedant ad majora. Junge Concilium Coloniale I. A. 1536. celebratum p. 3. cap. 31. apud Coletum tomo 19. Conciliorum col. 1240.

Pro membro 2. hæc sunt formalia Tridentini Sess. 23. cap. 11. de Reform. *Minores Ordines iis, qui saltem Latinam linguam intelligant, per temporum interstitia conferantur; ut eo accuratius, quantum sit hujus disciplina pondus, possint edoceri, ac in unoquoque munere, juxta præscriptum Episcopi, se exercere. Addit tamen: Nisi aliud Episcopo expedire magis videretur.*

30. Olim illi, qui interstitia non servabant, dicebantur promoti per saltum; hodie vero ii, qui Ordines gradatim non suscipiunt.

Quantum ad 1. p. sic habet Siricius Papa in jam laud. N. 27. ep. 1. c. 13. post præscripta in Monachorum Ordinatione interstitia. *Nec statim Saltu ad Episcopatus culmen ascendant, nisi in his eadem, quæ singulis Dignitatibus superius præfiximus, tempora fuerint custodita. Et Zozimus in relata N. 28. ep. 1. Nec vile sit Exorcistam, Acolythum, Subdiaconum, Diaconum per ordinem fieri; nec hoc Saltu, sed statutis Majorum ordinatione temporibus.*

E contra Concilium Trid. Sess. 23. c. 14. de Reform. ait: *Cum promoti per Saltum, si non ministraverint, Episcopus ex legitima causa possit dispensare; nimirum, ut in Ordine suscepto ministret (ita ordinatus), postquam Ordinem omnium susceperit; uti colligitur ex cap. Un. de Clericis per saltum ordinatis. Et non judicamus ordinatos per saltum, qui quatuor Minores hodie ad semel suscipiunt, & cras Subdiaconatum; bene vero, si, omisso hodie ordine Acolythatus, cras Subdiacon-*

natus susceperetur. Ratio hujus diversitatis est, quod antiqui Ordines Minores eodumtaxat sine conferretur, ut quis functionibus Ordini annexis applicaretur: quare si judicaretur aliquem altiore mereri, nec in minori alio adhuc esse probandum, eodem omnino, ad altiore promovebatur, ut jam inculcavimus, & solide probat Morinus P. 3. Exercit. 11. c. 2. E contra recentior disciplina Ordines inferiores non tantum requirit, ut quis eorum functionibus applicetur, & per illarum obitorem probetur; sed insuper ut necessario prærequiritur ad majores.

QUÆSTIO HISTORICO-CRITICA.

An Diaconissæ illæ, quæ in Ministerio erant Ecclesiastico, aliquando verum susceperint Ordinationem?

§1. **N**umero VI. h. T. Diaconissas pariter sumus in eas, quæ ita dicebantur, quod essent uxores Diaconorum, & in illas, quæ ministeria quadam obibant in Ecclesia, præsertim circa mulieres, & hæc posteriores sunt obiectum præsentis quæstionis.

32. Harum institutio temporibus Apostolorum coeva est; Paulus siquidem Apostolus cap. ult. ep. ad Rom. commendat Phœben in Ministerio Ecclesiæ, in Cenchris, Suburbio Corinthi, existentem. Ex Virginibus & Viduis assumentur Diaconissæ: initio tamen Ecclesiæ communis fortasse ex Viduis, quas quidem idem Apostolus 1. ad Timoth. cap. 5. volebat esse monogamas, & sexagenarias; quam tamen ætatem ad quadraginta annos contraxit Synodus Chalcedonensis Sæculo V. Ab Episcopo solo velabantur, quin ordinabantur suo modo per manus impositionem, de quo infra. Continentiæ perpetuæ lege adstringebantur; & si post factam sui Ordinationem nubent, anathemati ex Concilio Chalcedonensi subiacebant; ex Constitutione vero Justiniani Capitis Cum Sponsis

diminutioni. Concilium item Epaonense in Gallia Sæculo VI. celebratum, illarum Conjugium jubet separari; & propter adgenitam huic sexui incontinentiam, nullas deinceps in illa Regione Diaconissas consecrari. Cujus statutum amplèxi ac imitati videntur cæteri Galliarum ea tempestate Episcopi: ita ut illo Sæculo in Francia Diaconissarum Ordo omnino exoleverit. Paulo diutius subsistit in Hispania. Sed ea interposita est ibi cautio, ut generosæ illæ femine quadragenariæ, quinqueagenariæve continentie promissionem scripto firmarent. Non autem ante Sæculum X. aut XII. earundem Ordinatio penitus obsolevit in Occidente; in Oriente autem adhuc perseverabant Sæculo XIII. ineunte, in sola tamen Constantinopolitana Ecclesia; in aliis siquidem dudum pariter extinctæ erant. Vide Thomass. p. 1. lib. 3. c. præsertim 50. compendium nostrum late demonstrantem.

PROPOSITIO.

Diaconissæ primis Ecclesiæ sæculis ordinatæ fuerunt, seu Sacra aliqua Cæremonia initiatæ; per quam tamen Ordinem Ecclesiasticum non consequébantur.

33. **P**rimam propositionis partem comprobant tum S. Pauli 1. ad Timoth. c. 5. v. 9. eas instituentis verba: *Vidua eligatur non minus 60. annorum, quæ fuerit unius viri uxor.* Vidua vero nomine Diaconissam intelligi ipsa verborum series ostendit, quæ de Ministrorum Ecclesiæ tum electione ad ordinationem prævia, tum de consecratione ipsa manifestum sermonem habet. Item primorum Ecclesiæ tum Patrum, tum Conciliorum autoritas, quæ dum de Diaconissarum consecratione loquuntur, verbo *Chiratonias*, quod proprie ordinationem significat, eandem communiter exprimunt; eo siquidem utitur Tertullianus lib. 1. ad Uxorem cap. 7. *Vidua*, æjens, adlegi in Ordinationem nisi

ubi.

univiram non concedit (Apololus). Item lib. de exhort. Castitatis: *Quantæ igitur, & quæ ordinari in Ecclesia solent, quæ Deo nubere maluerunt.* Eodem stylo utuntur Author Constitut. Apost. lib. 8. c. 10. & alibi, Concilium Chalced. Can. 15. Trullanum Can. 14. & 40. Accedit pro Ecclesia Latina Ordo Romanus de Consecratione Diaconissæ, pro Græca Rituale Græcorum à Goario editum sub titulo: *Oratio in Diaconissæ ordinatione* pag. 218.

34. Secunda pars inde evincitur, quod neque ex Patrum, sive Conciliorum, aut Ritualium auctoritatibus allatis extundi possit, Diaconissas ordinatione sua ad sacrum aliquod circa Eucharistiam ministerium fuisse destinatas. Officia namque harum mulierum ex Constitutionibus Apostolicis, quas est apocryphas (Tit. 2. N. 66.) Græci pro Rituali ab antiquissimis temporibus adoptarunt lib. 2. cap. 26. erant 1. Feminas, si Episcopum vel Diaconum alloqui vellent, ad illos, tanquam honestatis illarum testes, adducere. 2. Ex iisdem Constit. l. 3. c. 7. Viduarum curam cum Diaconis quodammodo communem habere. 3. Ex lib. 3. c. 15. negotiis urgentibus, & Episcopum mulieres adire, aut ab ipsis commode vel decore conveniri non suadente honesto, harum sentia ad Episcopum, & vicissim sensus voluntatemque Episcopi ad illas referre. 4. Ex Concilio Carth. IV. Can. 12. rusticis & imperitis mulieribus principia fidei, vel Baptismi ritus exponere. 5. Ex Constit. item Apost. lib. 3. c. 2. & 3. in ipso Baptismo in corporibus mulierum nudandis, & caute, prout deceret, operiendis attendere; & Chirina vel oleum fronti, capiti que per Diaconum impositum per totum corpus manibus expandere. 6. Ex iisdem lib. 8. c. 28. ad pudorem adhuc foeminarum relevandum, portam, qua in Ecclesiam ingrediebantur, custodire. 7. Ex iisdem lib. 2. c. 59. ad finem, singulas mulieres, sive pauperes, sive divites Ecclesiam ingresses, & qua confiderent necitias, proprio loco statuere.

8. Ex Epiph. adversus Hæreses cap. ult. testimonium authenticum per corporalem explorationem Ecclesiæ Prælati dare, cum de amilla integritate in suspectionem veniebat Virgo Deo sacra. Et tandem illarum curæ in Monialium Monasteriis tota sacra suppellex commissa erat; imo, secundum quosdam, ad Sanctum Altare penetrare illis erat licitum, & Diaconis viris munia proxima & familia obire. Et præter hæc omnia in Agapis Ecclesiæ pariter spondebatur Diaconissæ, ex iisdem Constit. lib. 2. cap. 28. & ex reliquis oblationum portio illi assignatur, lib. 8. c. 31.

Solvuntur Objectiones.

35. **C**ontra primam partem allatæ propositionis militare videtur celebris Canon 19. Concilii Nicæni; ex eo siquidem manifeste colligi videtur, Diaconissas tempore Concilii Nicæni nequaquam fuisse ritu aliquo solemniter ordinatas, seu initiatas, sed nude ad ministeria præfata deputatas. Postquam enim Patres ibi decrevisent, hæreticos Paulianitas rebaptizandos esse, & qui apud eos ordinati erant, si Sacerdotio digni forent, rursus ordinandos, addunt quidem: *Similiter autem & de Diaconissis, & omnino de omnibus, qui inter Clericos annumerantur, eadem forma servabitur: at ne credatur, eas, quemadmodum alios Clericos, quos inter connumerantur, aliqua sacra cæremonia initiari, subdant: Diaconissarum autem meminimus, quæ in habitu quidem censentur, quoniam nec illam habent manuum impositionem, ut omnino inter Laicos ipsæ connumerentur.* Et ita hunc Canonem intelligit Cl. D. Van-Espen in suo Tractatu Historico-Canonico p. 2. c. 1. §. 7. ubi eundem ad hunc modum exponit, additque: *Ne quidem ex ullo antiquitatis monumento constare, Diaconissas per manuum impositionem, saltem tempore Synodi Nicænæ, fuisse ordinatas.*

36. At si expendantur auctoritates tum Tertulliani, qui diu ante Concilium Nicænum scripsit, item Constitutionum Apostolicarum, quæ ex primitivæ Ecclesiæ tum Constitutionibus, tum Traditionibus ac moribus sunt constat, aliaque plurima antiquitatis monumenta, verbo *Chirotonias*, id est, manuum impositione initiationem Diaconissarum exprimentia, in sententiam Espenii non facile est concedendum; sed alia duplex naturalis explicatio Canonii vexatissimo adhibenda: quarum prima est Eximii Domini Witasse tomo VI. suæ Theologiæ de Sacram. Ord. p. 1. q. 6. a. 2. ubi dicit: *Patres ad calcem hujus Canonis ideo Diaconissarum (quas prius in catalogo Clericorum collocaverant) iteratam mentionem facere, & inter Laicos annuere; ne quis inde colligeret, illas vera & legitima ordinatione esse initiatas, non quod aliqua manuum impositione jam tum non donarentur, cum id constet, inquit, ex innumeris Ecclesiæ monumentis. Id quod ipsum nostra edicit propositio. Altera est expertissimi in re græca Goar. ii Commentario in Ordinationis Diaconissæ pag. 220. col. 2. ubi ex Zonara in cit. Can. 19. refert: Plures ante Concilium Nicænum fuisse Virgines, quæ, castitate jugiter servata, Deo se consecrare studebant: ex earum itaque Collegio quasdam Episcopi ad Diaconicum munus sepebant, quibus peculiarem quoque habitum (quasi Diaconissis) anno ætatis 25. concedebant: & hæc, quamvis adhuc forent Laicæ, & habitum portarent ad probationem potius virtutis, quam ad Ordinis etiam cum dispensatione susceptionem; Diaconissarum tamen nomine & honore gaudebant: de quibus proinde Canon Nicænus cit. inquit ille, qui plerisque moris hujus ignaros torst, potuit absque facta cuiquamque alteri Canonii oppositione dicere. Diaconissarum autem censurimus, quæ in habitu quidem censentur, quoniam nec ullam habeat manus impositionem, ut omnino*

inter Laicos ipsæ commoverentur.

37. Contra II. ejusdem propositionis membrum opponi possunt I. auctoritates Patrum, & Conciliorum pro stabilienda prima parte à nobis allatæ, quibus Diaconissæ ordinari, & initiari per manus impositionem dicuntur: quibus adde Epiphanium hæresi 79. & alios Patres, eas intra *Ecclesiasticum Ordinem* concludentes. Item Nazianzenum ep. 95. & Synodum Trullanam, eas in *Ecclesiastica Dignitate* collocatas agnoscentes. Denique S. Basilium ejusmodi mulierem, si fornicata fuerit, *deponendam* esse pronuntiantem ep. ad Amphil. c. 44. Vera igitur & legitima ordinatione initiatæ erant. II. Ipse Ritus ordinationis earundem, in Rituali Græcorum sæpe laudato expressus, ritui ordinationis Diaconi fere similis. Sicut enim dum Diaconus ordinandus præsentatur Archiepiscopo, ille exclamat: *Divina Gratia, &c.* ita & in præsentatione Diaconissæ: & sicut postea super caput ejus manus imponit, tribusque Crucibus efficit super ipsum precatur; ita similiter facit cum Diaconissâ. Quin eandem formam, quam sub manus impositione profert super Diaconandum, etiam recitat super promovendum in Diaconissam. Et, quod plus est, sicut Stola Diaconica humero sinistro Ordinati circumponitur; ita quoque Diaconica Stola sub Pallio collo Diaconissæ à Pontifice circumdatur, duas illius extremitates ante pectus reducitur. Tandem, sicut Diacono, ita & Diaconissæ, peracta communionem, Calix in manus traditur. Et hinc Arcudius ritum hunc, & præsertim formam, *Divina Gratia, &c.* in Ordinatione Diaconissarum, à Rituali Græcorum olim præscriptam, judicat erroneam, imo hæreticam, per abusum Græcorum contra mentem Apostolicarum Constitutionum introductam, cum ea itante non dignosceretur varia impositio facta Diacono & Diaconissæ, imo eadem plane existimaretur, quando & eadem forma consecrationis recitatur. Accedit & Ordo Romanus in Bibliotheca Patrum,

trum, ubi benedictionis illius formula exhibetur.

38. Resp. ad I. Patres & Concilia allata loqui ad mentem nostræ propositionis; ex eo enim quod ordinatas manuum impositione Diaconissas edisserant, satis innuunt, eas ad ministerium suum nude non fuisse deputatas, quemadmodum nunc deputatur obvis quidam Editus, aut Sacrista; ex eo vero, quod recensendo earundem officia nil consignent, quod Ordinis Sacri functionem redoleat, quemadmodum h. T. N. 35. vidimus, sententia illorum de earundem Ordinatione verbis subiecta, de ordine, gradu, & dignitate Ecclesiastica late sumpta intelligenda venit.

39. Ad II. Resp. cum Goario L. sæpe cit. N. 3. Arcudium zelo potius, quam ratione in suos, quos pie exponere debuisset, invehi. Non enim error aut hæresis est, si quædam sacramentalis formæ Diaconatus verba verbis consecrandæ Diaconissæ necessariis adjungantur, aut adaptentur. Formæ enim, sicut & rerum definitiones, numeris sunt similes, quibus si addatur unitas, aut detrahatur, priorem numerum perdit, & alium exurgere necesse est. Itaque concedimus, allata in argumento veritate nitii; sed contendimus ea propositioni nostræ haud obesse, cum illis non obstantibus tantæ Diaconum inter & Diaconissam adhuc hient ritus, quæ vel lipso discretionem inter utroque communistrant. Imprimis enim ipse mulieris sexus Sacri Ordinis suspicionem ab ea longe removet. Secundo, ipsa intentio Ordinantis, quæ ex ministerii, ad quæ per verba ordinationis deputatur,

fatis innotescit. Sed audiatur Græcus Commentator Matthæus Blastares c. 11. *Tu Gulstibein peragi convenit*, inquit ille ibi, *paucis exceptis in Diaconissæ Ordinatione, quæ & in Diaconi. Illam etenim ad S. Mensam adductam, Majorio velari decet, pendentibus à parte anteriori ejus extremitis. Postquam vero dictum fuerit: Divina gratia, quæ infirma curat, nullum ipsa insectit genu, sed caput solum. Imposita vero illi manu precatur Pontifex, ut ministerii opus inculpate absolvat, continentiam, & honestam conversationem obeat, atque ita in Sanctis Libris perseveret; non tamen ipsam illibatis Mysteriis ministrare permittit, aut flabellum obtrectandum more Diaconi illi committit. Collo deinde ipsius sub Majorio Stolum Diaconicum imponit Pontifex, & in partem anteriorem ejus extrema reducit. Communionis autem tempore, post Diaconos, Sanctorum Mysteriorum ipsam participem facit, & ex ejus manu illa Calicem accipit, nulli tamen distribuit; sed confestim traditum in Sancta Mensa reponit. En discrimina, quæ Sacrum Ordinem in Diacono aperte produunt, à Diaconissâ aperte removeunt. Diaconus Stola Diaconica, & osculo ab Ordinatore accepto, flabellum recipit, & à Sanctæ Mensæ dextris statuitur, ut ventilet, juxta Rituale Græcorum; nihil horum Diaconissâ. Diaconus juxta idem, accepto Calice, egressus, communicaturæ Plebi illum distribuit; mulier Diaconissâ vix eo tacto illum confestim in Sancta Mensa reponit: hoc ipso indicans, nihil sibi negotii cum Sacratio competere.*

TITULUS XV.

De Sacra Unctione.

1. **U**ngi solent juxta Cap. un. hujus Tituli, & praxim Ecclesiæ Episcopi, Sacerdotes, suscipientes Baptisimum,

Confirmationem, atque Extremam unctionem: quæ unctiones à Canonibus Sacramentales appellantur. Item Imperatores, Re-